

ANNALIUM  
PROVINCIAE  
SANCTI JOSEPHI  
ORDINIS EXCALCEATORUM  
SANCTISSIMÆ  
TRINITATIS  
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM  
LIBRI DECEM,

In quibus ab origine Provinciæ & Ordinis Propagatione  
post ultimam Viennæ obsidionem ANNO M. DC. LXXXIII.  
usque ad constitutam Provinciam ANNO M. DCC. XXVIII. referuntur  
Coenobiorum Origines, peractæ Captivorum Redemptiones, Illustrium Virorum  
Vitæ sive Elogia, Descriptiones variarum Urbium ac locorum in Turcia præsertim  
& Tartaria, aliaeque Res Memorabiles, Sæculi duodevigésimi  
& antecedentis Historiam illustraturæ.

Omnia ferè

Ex Summorum Pontificum & Imperatorum Diplomatibus,  
Principum & Magnorum Virorum Epistolis, atque aliis Domesticis  
& Originalibus Actis, Documentis & probatis Scriptoribus  
desumpta.

STUDIO ET LABORE  
P. FR. JOANNIS A S. FELICE.  
Eiusdem Ordinis & Provinciæ Chronographi.

VIENNÆ AUSTRIÆ.

Typis Joannis Petri van Ghelen, Sac. Cæs. Regiæque Majestatis Aulæ, &  
Universit. Typographi, M. DCC. XXXIX.

# ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS  
Redemptionis captivorum.

## LIBER I. SYNOPSIS.

*Post Operis introductionem memoratur Sacrum Fœdus adversus Portam Ottomanicam inter Augustissimum Casarem, Serenissimas Poloniarum & Venetiarum Republicas ex quo tanquam fonte manavit Introductio Ordinis SSS. TRINITATIS Redemptionis captivorum in Poloniā, ac inde Viennam Austriae Hereditarijsque Austriae Domus Provincias annutupræsertim & commendatione INNOCENTII XI. Sanctissimi Pontificis, datisque Litteris ad Augustissimum LEOPOLDUM I. Romanorum Imperatorem, & aliorum ad alios. Opus urgent Eminentissimi Cardinales Bonvisius & Kolloniczijus, inducti desiderijs & utilitate redimendorum captivorum. Suffragatur Celsissimus Princeps Ernestus e Comitibus Trauthson Episcopus Viennenfis, cui tamen capto multi adversantur. Opet tandem ac industria Excellentissimi Comitis Harrachii apud Casarem facultas impetratur, Viennae Austriae conſtruendi Ordinis nostri Templum & cœnobium. Ægrè situs acquiritur, & donatione Cesaris ampliatur. Demum succincta Urbis Viennenfis descriptio subjicitur; & an olim in Polonia, Pannonia & Bohemia Redemptionis Institutum floruerit, brevi Corollario contra quosdam Scriptores discutitur.*

## CAPUT I. *Operis Introductio Præliminaris.*

**O**rdinem Sanctissimæ TRINITATIS præavorum nostrorum nemo unquam se in patria vidisse gloriarī potuit. Parentes, nati & nepotes post ultimam Viennæ obsidionem eundem ex remotissimis Hispaniarum finibus ab Occidui Solis litore in Septentrionem usque sub Arctoum Sidus ad novas quæcadas Sedes evocatum per maximum Europæ tractum trahere mirati Redemptionem tam luculentam charitatem,

A

In Poloniā  
evocatus Or-  
do occa-  
sionem præbes  
Austriae sun-  
dem implan-  
tandi,

Or-



DILECTISSIMIS IN CHRISTO  
PATRIBUS ET FRATRIBUS  
**PROVINCIÆ S. JOSEPHI**  
ORDINIS EXCALCEATORUM  
*SANCTISSIMÆ*  
**TRINITATIS**  
Redemptionis Captivorum in DEO  
consolationem precatur

Humilis

FRATER JOANNES A. S. FELICE.

E s t e n d o u n d e r i c h i v o l u m e n

**Q**uod pridem avidè desiderâstis Patres & Fratres in CHRISTO. Dilectissimi, nunc tandem vobis exhibeo, Annales nimirūm Provinciæ nostræ ab ejus initio ad annum usque vigesimum octavum currentis Sæculi, quos ego indefessâ diligentia multorūmque annorum labore in praesentem formam redigi: non quod difficile fuisset paucorum annorum curriculo rem totam ad coronidem perducere, sed quod ante constitutam Provinciam spectatorem duntaxat rerum gestarum agere potuerim, post illam vero constitutam alijs occu-

pationib<sup>us</sup> & munerib<sup>us</sup> dilitentus fuerim, quæ sicut animum a scribendi propolito avocârunt, ità Libri hujus editioni moram longiorem objecerunt, donec omnib<sup>us</sup> impedimentis sublati<sup>s</sup> otium noctis fuisse cœptam hujus operis telam ad finem usque pertexendi.

Quod si nunc ego congestis rationum cumulis, Docto- rūmque Virorum sententiis Annalium utilitatem aut necessitatē exaggerare constituissim, n<sup>o</sup>e ego rem actam agerem, cùm tot Literatæ Reipublicæ Proceres eruditis calamis suis id dudum cumulatissimè præstiterint: quamvis autem universim Chronicorum volumina toti humano generi mirificè commodent, singulis tamen Religiosorum Familiis peculiares sui Annales cumprimis necessarii videntur, tum quod ex illis certiora virtutum documenta pro cuiusvis Ordinis conditione petantur, tum quod Religiosorum gesta facilius oblivione sepeliantur, quæ quantò minus mundanæ claritatis habent, tantò citius in memoria hominum obliterantur, non sinè gravissimo Religiosæ Disciplinæ dispendio, quæ sicut Majorum exemplis & reb<sup>us</sup> gestis potissimum statuminatur, ità his quasi fulcris subtractis facilimè corruit, & ex sede virtutum in sedimentum vitiorum degenerat; humana siquidem fragilitas, dum prona cupiditate in deteriora propendet, quidquid non legit ab aliis gestum fuisse, impossibile factu reputat, aut si quidquam præclarum ab antiquis peractum inaudiat, tanquam res, nullius idonei scriptoris (absit verbo invidia) testimoniò comprobatas, anilibus fabellis accenset.

Præclarè itaque de Christiana Republica & Ecclesijs DEI meriti fuerunt, qui Religiosorum conscribendis Historiis suis calamos devoverunt; horum siquidem operâ Majorum gesta nunquam intermoritur gloriâ in feram posteritatem propagantur, & virtutum exempla, temporum injuriis aliquin abolenda, debita immortalitate donantur. Id ego cùm fatis cognitum & exploratum haberem, haud leve operæ pretium me facturum putavi, si ad imitationem tantorum virorum in simile opus incumbarem, eaque omnia, quæ ab exordio hujus nostræ Provinciæ ad annum usque vigelimum octavum labentis Sæculi a nostris Religiosis rectè laudatèque gesta fuerunt, pro virium mearum tenuitate in commentarios referrem, non quod in libris hacenus editis exempla desiderentur, quæ prudentiam acuant, animosque pietatis igni-

igniculis succendant, sed quod Domestica magis moveant, & in sui æmulationem mentes efficacius pellicant. Id peculiariter exigit Ordinis nostri Institutum, quod sicut ab aliis Religiosorum hominum Familia in quibusdam dissidet, ita singularia documenta, regulas & media efflagitat, quibus nostri juvari queant, ut ea, quæ vi sui Instituti facere tenentur, promptius & expeditius exequantur. His ego causis impulsus animum ad præsentes Annales condendos adjeci: quid verò in illis præstiterim nunc paucis exponam.

Historiam nostræ Provinciæ scribendam suscepseram, cui ob Chronologicum, quem servavi, temporis ordinem Annalium titulum præfixi; nonnulla enim in ea recensentur, quæ, quia ante meam ætatem gesta fuerant, Historiæ nomen sibi vendicare non poterant, nec mihi operæ pretium videbatur ad imitationem Cornelii Taciti, & Titi Livii præsentem Librum in Annales & Historiam dividere. Huc igitur primas meas curas contuli, ut Opus, quod elucubratus eram, tali nomine non omnino indignum censeretur, idque sibi aliquo jure vendicaret: magna proinde solicitudine cavi, ut scopolum effugerem, in quem non pauci Chronographi impegerunt, qui accurata rerum narratione contenti Chronologiarationem sus deque habuerunt, adeoque Historiam sæpumerò inextricabilib[us] difficultatib[us] involverunt: cùm verò Chronologia sola efficiat, ut liber aliquis Annalium sive Chronicorum nomine insigniri possit, ego ante omnia ejus rationem habendam putavi, illamque velut unicam cynosuram meam inconnivo semper obtutu respexi; res itaque gestas non promiscue in chartam conjeci, sed magnâ diligentia nec minore labore temporis delectum institui, ut Historiæ Chronologia exactè responderet, & quæ narranda occurrabant, illis annis recenserentur, in quibus gesta & peracta fuerunt. Huic ego proposito meo tam pertinaciter inhæsi, ut, licet multis narrationibus plus venustatis & lucis conciliare potuisse, si eas non interrupta serie continuasse, orationis decorem negligere maluerim, quam vel lato, ut ajunt, ungue a Chronologia defletere. Id Lector benevolus non semel observabit tum in aliis, tum potissimum in Descriptionibus Redemptionum, quæ aliò anno initium, aliò autem finem fortitæ fuerunt; quamvis enim similes Descriptiones insigniter se extulissent, si uno & perpetuo ordine litteris commendatæ fuissent, sa-

tiùs tamen judicavi narrationem maxima sua pulchritudine fraudare , ac Lectoris aviditati ingratum sufflamen iniicere , quām vel tantillum in Leges Chronologiæ delinquere : fateri nihilominus oportet , me in eam aliquoties necessitatem redactum fuisse , ut aut Chronologiæ rationes mihi essent paullisper violandæ , aut res gestæ perpetuò prorsus silentiō obliterandæ ; occurrabant siquidem interdum res minutæ , quæ cō annō , quō gestæ fuerunt , nec alteri capiti ob materiæ diversitatem commodè connecti poterant , nec se solis proprio capiti constituendo sufficiebant ; tunc enimvero , ut earum memoriam quoquō modō ab interitu eriperem , mihi quidpiam in Chronogiam licere volui , & res a suo anno avulsas in eum transtuli , ubi similia recensenda se offerebant , monito tamen semper Lectore de temporis ratione , ne imprudenti error subrepereret , aut meæ incuriæ tribueretur , quod sola necessitas extorserat .

Cūm verò accuratus annorum computus ex se non sufficiat , ut Liber aliquis Annalium titulum tueatur , nisi etiam locuples rerum gestarum narratio accesserit , quæ sub horum annorum decursu evenerunt , in id quoque tota nervorum contentione incubui , ut in hunc Librum largè congererem , quidquid vel ob nativum splendorem , vel posteriorum doctrinam , vel alia de causa memoriam sibi deposcebat . Natales proinde singulorum Conventuum solicetè annotavi , diemque atque cum die annum descripsi , quō Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum post obtentam ab Ordinario Loci facultatem ædibus nostris immigravit , ab hoc namque die cūjusvis Cœnobii Antiquitas inter nos suum dicit initium . Singulas deinde captivorum Redemptiones copiosè descripsi , ut mundus universus intelligeret , per quantos casus , & per quot discrimina rerum istiusmodi expeditiones peragantur ; nam sicut Redemptio & captivitas arctissima inter se affinitate junguntur , ita Redemptores & captivi ærumnarum communione sociantur . Molestæ quidem sunt & graves captivorum calamitates ; quid enim gravius aut molestiùs imaginatione fingi potest captivitate , aut quid ei reitat ad cumulum miseriārum , qui perdita Libertate hostes habet Dominos & inimicos Judices ? ast quamvis eorum calamitates multæ sint , & acerbæ , contingit tamen sèpenumero , ut leves videantur , si comparentur cū illis , quas Patres Redemptores exant-

lare

lare coguntur, ut ex decursu præsentium Annalium sole clariū elucescat: scilicet non aurō solum & argentō aurea captivorum Libertas asseritur, verum etiam decumanis Patrum Redemptorum laboribus & afflictionibus. Hæc non propterea commemorare volui, ut vos, Patres Dilectissimi, ab hoc Charitatis opere deterrerem, sed ut vos excitarem ad aliquid pro CHRISTO Ejusque membris (animas dico captivorum pretiosissimo CHRISTI sanguine redemptas) audendum; redimuntur siquidem corpora, ut animarum saluti consulatur. Occurrunt in hisce Annalibus incommoda varia, multa pericula, plurimi labores, cum quibus nostri conflictati sunt acriter; etenim PP. Redemptores, ut ipsi prototypo suo, CHRISTO nimirum Redemptori, accuratiū conformentur, sinè plurimis ærumnis esse vix possunt: quæ idcirco huic operi inferuit, ut instruantur posteri ex antecessorum casibus & eventibus noxia vitare, sectari salubria & utiliora, quatenus uberiore animarum fructu & minorib[us] expensis tam insigne charitatis opus, & præcipuum S. Ordinis nostri Institutum, Redemptionem videlicet captivorum, exequantur, sicut hæc tenus factitatum est ad laudem & gloriam Sanctissimæ TRINITATIS.

Præterea in hoc Libro exhibeo nonnullas vitas Patrum & Fratrum nostrorum, quorum mihi probatæ virtutes & præclara gesta innotuerunt. Horum ego laudes literis sum executus, ut alios ad eorum premenda vestigia provocarem. Etsi verò minimè diffitear, plures sub hujus temporis decursu & in his primitivi rigoris initiis laudabiliter vitæ effloruisse, eosque in jejuniis, orationis studio, sensuum externorum æquè ac internorum edomatione, intima cum DEO per contemplationem unione, aliisque pietatis exercitiis veteres eremi cultores aquasse, quia tamen rerum ab iis gestarum notitia ad me non pervenit, aut quia illi laudem humanam perosi virtutes suas sollicitè oculuerunt, ut Divinis oculis tantò impensiūs placerent, nullum in hoc Libro locum obtinuerunt: quibus proinde, nobisque sufficere debet, eorum nomina, ut piè credimus, esse scripta in cœlis, & in Libro vitæ exarata: fieri tamen potest, ut posteritas eorum gesta, quæ me fugerunt, evolvat, illaque propitio Numine aliquando publici juris faciat.

Augustissimæ Domus Austriacæ Pietas & Benevolentissima Dignatio innumeris beneficiis, gratiis ac favoribus comprobata, ubique in hoc opere promicat, & non unam implet paginam: ingentia nimirum merita, quibus haec Augustissima Familia totum sibi Ordinem nostrum obstrinxit, suo quasi jure deposcebant, ut calamus identidem in ejus laudes excureret, ne intempestivò silentio collata beneficia aut sprevisse, aut ingrati animi vitiò dissimulasse videretur: cum verò & cæteri Benefactores, qui res nostras suis opibus & facultatibus juverunt, debitam gratitudinem mereantur, eorum memoriam ad seram posteritatem propagare conatus sum, adeoque singulos brevi Elogiò ornavi, non solum ut illorum meritis qualemque gratiam referrem, verum etiam ut eorum animabus uberiora suffragia conciliarem; cum enim accepta ab illis beneficia aliter redhostire nequeamus quam fusis ad DEUM ardentissimis precibus, ipsa gratitudo efflagitat, ut præter solitas orationes, quæ quotidie in communi pro omnibus Benefactoribus atque Fundatoribus nostris persolvuntur, singuli singillatim in privatis pietatis suæ exercitiis & sacrificiis eorum meminerint, quatenus illi in altera vita spirituallium bonorum nostrorum evadant participes, qui in hac vita temporalibus bonis suis Ordinis propagationi & Cœnobiorum fundationibus obstetricati fuerunt.

Diversos deinde eventus prosperos æquè ac adversos, variisque rerum ac temporum vicissitudines solicite annotavi, ne sterili nimis narratione Lectorem meum jejunum prorsus & inanem dimitterem, sed plena gestorum omnium cognitione imbuerem; cum enim & ipsi Religiosorum cœtus membra sint Reipublicæ, consecraneum evadit, ut communibus calamitatibus involvantur, & publica prosperitate lætentur. Bonum publicum & privatum tam arcta inter se junguntur necessitudine, ut unum ab altero separari haud sustineat. Ambo fatali temporum revolutioni ancillantur, & pro diversis rerum successibus crescunt, aut decrescunt. Paria idcirco utrique sunt emolumenta vel dispendia, quæ individuò contuberniò sese invicem semper affectantur, ut proinde in ipsa quidem Historia Ecclesiastica a se mutuò divelli queant.

Ut autem Historiæ meæ uberiorem fidem conciliarem, eamque solidioribus basibus fulcirem, Pontificum, Cæsarumque Diplo-

Diplomata , Principum & Summorum Virorum Epistolas in causis & negotiis nostris expeditas , ceu irrefragabiles Veritatis testes & nervos huic operi passim intexui , quibus reliquam deinde narrationis seriem imposui : quamvis autem sciens volensque nihil prætermiserim , quod ad meum propositum facere judicabam , multò tamen habitorem & succinctam magis Historiam in lucem produxissem , si quæ Tullio teste *Lib. 2. de Oratore* Historici lex est : *Ne quid falsi dicere audeat , Et ne quid veri non audeat , ne qua suspicio gratiae sit in scribendo , ne qua similitatis , ea quoque tota ad me pertinuerisset.* Verum hanc ad literam servare mihi integrum non fuit , qui licet nullis fabulis aut commentis narrationem meam fœdaverim , vera tamen multa , & plerisque comperta omittere , eisque delendis Aristarchi spongiam adhibere debui , quod ita sentirent illi , quibus provincia obtigit præsentes Annales acri judicio expendendi ; cum enim Ordo noster magnis persecutionibus , injuriis & afflictionibus saepius arietatus fuerit , nolebant illi Camarinan moveri , aut obductam cicatricem denuo refricari , ne illi , quorum culpâ præterita mala evenerant , candidam rei gestæ narrationem in suam contumeliam acciperent , & multò infensiore animo rebus nostris incommodarent : unde Lectorem meum etiam atque etiam obtestor , ut , si per decursum hujus Libri nonnulla observaverit , quæ a me literis commendata minime fuerunt , id meæ potius obedientiæ , quam desidiæ imputare velit : si quis tamen præfracte ea nosse desideret , quæ censoria virgulâ expuncta fuerunt , in nostra Bibliotheca Viennensi inter Manuscripta Anecdota reperiet . Demum , ne quid intactum relinquam , stylo usus sum non admodum luxuriantे , neque sicco nimis , sed plano , perspicuo & fluido , qui neque in salebras asperatur , neque rursus ampulloſis aut sesquipedalibus verbis superbit . Verba quisquis sectatur , corticem duntaxat deperit nucleo neglecto : ego qui rebus duntaxat intendebam , exiguum verborum delectum institui , nihilominus tamen studiosè cavi , ne ex vocabulorum neglectu sordida pro tercis , exotica pro usitatis , aliena pro genuinis irreperent , id est : ne sine summa necessitate barbarè loquerer , quæ in rebus Ecclesiasticis describendis frequenter emergit , dum res priscis Romanis ignotas cogimur qualunque verborum schemate efferre .

Habes h̄ic igitur Lector Benevolē totius Historiæ nostræ conspectum in fronte Libri promisum. Hoc ego scriptio-nis argumentum sicut jussu R. N. P. Alexandri a Concep-tione, piè defuncti Majoris ac Generalis Ministri nostri, tractan-dum suscepseram, itā summā curā fidēque per omnes nostros Conventus originalia Documenta inquisivi, ac investigavi. Vivos etiamnum multos ex nostris Patribus appello, qui optimè nōrunt, quam frequens litteras ad absentes dederim, quos tanquam oculatos testes didiceram rebus quibusvis in-terfuisse: cum præsentibus verò, quoties occasio se obtulit, multos sermones miscui, ut gelitorum veritatem penitiū erucrem: quinimo & ipse quoque non pauca, velut h̄ic referuntur, propriis oculis inspexi. Quamvis autem h̄ec omnia nova sint, & in recenti adhuc memoriā custodian-tur, non tamen ideo ingrata fore confido; Nam ut canit Sulmonius Vates *Lib. 3. de Ponte, Elegia 4.*

*Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum.*  
Ut autem in his scribendis meliore methodo procederem, opus universum in decem Libros partitus sum, ipsos porrò Libros in capita, capita rursus in numeros five paragraphos divisi, annos verò in suprema paginarum margine collocavi. Hoc ego nunc opus Patres & Fratres Dilectissimi! Vobis offero, ut domestica, quæ imiteminor, exempla in promptu semper habeatis, & ex præteriorum temporum eventibus præsentes aut futuros successus moderemini. Dabitis autem veniam, si quid a me scriptum inveneritis, quod vobis mi-nus arrideat: neminem perstringere, neminem Theonino dente rodere volui. Si quid minus politum, aut parum elimatum detexeritis, tenuitati meæ, quam ultrò confiteor, imputate, ac parcite: si quid autem bonum vel probatum repereritis, bonorum omnium Auctori DEO, ut tribuatis, obsecro, cui soli honor sit & gloria nunc & in perpetuum.  
Vos jam valete, resque vestras ac Fratrum Veitrorum legere non dedignemini.

Be-

Benedicta sit Sanctissima TRINITAS.

FR. NICOLAUS A S. FELICE Provinciæ  
S. Josephi Ordinis Discalceatorum SSS. TRINITATIS  
Redemptionis Captivorum, primitivam Regulam  
profitentium, Minister Provincialis.

 E consensu nostri Definitorii Provinciæ  
S. Josephi tenore præsentium concedimus,  
ut Liber, cui titulus: *Annales Provinciæ*  
*S. Josephi*, a P. Fr. Joanne a S. Felice No-  
stræ S. Religionis Sacerdote professo, & actuali Pro-  
vinciæ præattactæ Chronographo, compositus, ac  
elaboratus, a gravibus quoque viris, & doctis No-  
stræ S. Religionis revisus & approbatus, typis man-  
dari possit, obtentis priùs cæteris facultatibûs re-  
quisitis. Datis in Nostro Relioso Viennensi Colle-  
gio, manu nostra ac Secretarii nostri chirographô sub  
scriptis, sigillique officii nostri impressione munitis  
die decima quarta Junii. Annô Domini millesimô  
septingentesimô trigesimô octavô.

F. NICOLAUS à S. FELICE (L.S.)  
Minister Provincialis.

Mandatô N. Patris Ministri Provincialis  
Fr. PETRUS à S. BARBARA,  
Secretarius.

AP.

# APPROBATIO.



X injuncto mihi officio à N. P. Michaële ab Assumptione Ministro Provinciali attente legi librum , cuius est Inscriptio : *Annalium Provincie S. Josephi Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS Redemptionis captivorum Libri Decem* , quos conscripsit P. F. Joannes à S. Felice , Ordinis ejusdem & Provinciae Chronographus . Historiam videlicet continuata serie producit ab initio propagationis nostræ usque ad constitutam Provinciam : & compertum mihi fuit , Authorem omnes diligentis & Fidelis historici partes affatim expleuisse . Nam Chronologiam absque hiatu velut Ariadnes filum sequitur , quô fit , ut status rerum , & propagationis nostræ primum in Austriam , demum in alias regiones per tempora continuò dignoscantur : Lucium Annæum Florum . accurriatore methodo imitatus refert , ut nimirum sub tribus Augustissimis Imperatoribus in principio nata , in progressu educata , & in fine adulta fuerit nostra S. Josephi Provincia . Reflexiones subinde quasdam ingerit ad legentium utilitatem ; mirificè delectat in doctrinis & variis erudititionibus tam ex veteri quam recentiore politioris literaturæ promptuario desumptis ; sic miscuit utile dulci , ut in utroque supereret expectationem , scilicet :

Lectorem delectando , pariterque movendo  
Hic meret æra liber.

Ceterum quæ ad posteritatem hoc in volumine transmittit memorabilia , eo candore profert , quô desiderari major vix possit ab homine veritatis amante & studioso . Et ego , ut cum S. Paulo Apostolo 2. ad Corinth. cap. 13. v. 8. loquar : *Non enim possumus aliquid adversus veritatem , sed pro veritate* . Hinc opus probo , studium commendo , & hos Annalium libros pro utilitate posterorum futuros assero . Præterea nihil in iis contra sanctam nostram Romano - Catholicam fidem , vel quod bonos mores offendat , reperi : quapropter , ut in lucem publicam ope typorum prodeant , servatis fervidis centeo . Ita sentio , salvo meliori &c. Dabam in hoc nostro Vienensi Collegio Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS Redemptionis captivorum die 14. Januarii. Anno 1736.

Fr. MARTINUS AB ASCENSIONE,  
Ex-Commissarius Generalis.

AP-

## APPROBATIO.

**D**emandato N. P. Joannis à S. Felice, Ministri Provincialis Provincie nostræ S. Josephi, Librum Chronicorum ejusdem Provincie Ordinis Discalceatorum SSS. TRINITATIS de Redemptione captivorum a P. Joanne a S. Felice, charissimo olim Con-novitio meo, & in literario studio Con-collega, nunc verò Chronista Provinciali collectum, & adornatum attentè non minùs, quām voluptuosè perlustravi, & re-vidi, nihilque reperi, quod sanæ doctrinæ, & sanctæ nostræ fidei adver-saretur ; elucet verò in eo Authoris nostri ingenium, in colligenda hi-storyæ materia diuturnus ac indefessus labor cum industria, in colloca-tione materiae historicæ ad legendi voluptatem excitandam apta connexio, in compositione elegantia historici sermonis, veritatis historicæ, cūm pleraque ferme vivente scriptore acciderint, sinceritas, ut opus omnibus absolutum numeris meritò videatur : Evidem non laudari non potest, quod laudem meretor, tametli supervacaneum existimem scriptorem no-strum laudibüs celebrare, cūm opus ipsum legentibus sè præclarè sit com-mendaturum, neve religiosam ejus modestiam, affuetamque humilitatem rubore suffundam, atque simultanei affectus nimium ipse arguar. Quamobrem cūm liber hicce Provincie nostræ cum primis futurus sit utilis; in eo enim summorum Patronorum ac Mæcenatum grandia re-censentur Ordini ac Provincie nostræ præstita beneficia, quæ debitam gratitudinis tesseram in nobis perennandam exigunt, ne unquam obli-vione deleantur. Majorum nostrorum vitæ morumque monstratur integritas, quam imitemur. Fervor excellens, juxtāque indefatigabilis in propagando Ordine ac Redemptionis Instituto exequendo veluti specu-lum nobis proponitur, quod intueamur. Labores, sudores, & algo-res, paupertas nonnunquam extrema, inediæ, aliæque quām plurimæ ærumnæ in principiis fundationum & captivorum Redemptionibus, re-liquaque animarum cura perpetiæ clarescunt, ut eorum premamus ve-stigia, fortitudinem teneamus & constantiam, idustriam & modum redimendi captivos confratres nostros Christianos edocemur, ut discamus artem veluti veri Evangelici negotiatores multam animarum messem in DEI, & Domini nostri Redemptoris horreum congregandi, & ut paucis denique cuncta, quæ nostræ referunt, complector: universale Patrum nostrorum proponitur nobis virtutum exemplar, quod ob oculos no-stros perpetuò versari debeat, atque stimulare jugiter ad perfectionem. Quocirca dignum censeo, ut opus istud sub prælo sudet, siatque publi-cum præsertim commodo Provincie nostræ. Sic sentio, salvo me-liori &c. In Conventu nostro SSS. TRINITATIS Posonii in Hungaria octavò Calendas Novembbris. Annò 1730.

P. Fr. CHRISTOPHORUS à S. FRANCISCO,  
Eiusdem Ordinis Provincie p.t. Definitor Provincialis.

*AMANTISSIMO IN C H R I S T O*  
PATRI FR. JOANNI A. S. FELICE,  
PROVINCIÆ S. JOSEPHI CHRONOGRAPHO,  
SUÆ PROVINCIÆ ANNALES SCRIBENTI  
APPLAUSUS METRICUS.

**B**Ane Pater Sancto qui de Felice vocaris,  
    Ordinis assurgis Conditor Historiae.  
**B**Pangere præsumpsit meditatum carmen amico,  
    Ut venit ad numeros me properante melos.  
Tu monumenta Patrum scribis per temporis annos,  
    Gesta per ætates, nec finis ulla mori.  
Ne struat inuidias inimica oblivio rebus,  
    Præcavet in libris indubitata fides.  
Posteritas tua scripta leget dignissima typis,  
    Déque bono fluxit Numine, dicet, opus.  
Spargit virtutum suaves amaranthus odores,  
    Lilia mixta rosis pagina quæque notat.  
Floret & insignis gestorum synchronus auctor,  
    In speculo testis cernitur ipse suo.  
Ut charum decus est nostræ florentis olivæ,  
    Sic stabiles fructus Religione tulit.  
**B**ibliotheca docet, pretiò quam servat, & auget,  
    Continet hæc, quidquid doctus amare queat.  
Longè diffusus jam Trinifer Ordo triumphat,  
    Cœtus Josepho forte dicatus ovat.  
Captivi! spes vestra viget, post vincula sequetus  
    Aurea libertas & sinè nube dies.  
Plura quidem lytrô numerantur millia vestrûm,  
    In patrias terras inque reducta domos.  
Multæ recensibit per millia compede vinclis  
    Venturum tempus dissoluisse jugum.  
Funera quid multis memorem Fratrumque Patrumque?  
    His bona mors fuerit, quæs bona vita fuit.  
Non moritur virtus, sublimis ad æthera tendit  
    Regnatura Polô, despicit invidiam.  
Et Benefactorum pia munera gratus honoras,  
    Præmia pro meritis reddet & ipse D E U S.  
Eventus varios, & quæ super Ordinis hujus  
    Surrexere Domus, continet iste Liber.  
Magna doces & pulchra canis, majora mereris,  
    Dum facienda refers & referenda facis.  
Est opus eximum studiô plenûmque labore,  
    Est elegans sermo, qui pietate nitet.  
Unde sibi lector studiosus multa parare  
    Hic documenta potest, quæ meminisse juvet.  
Hos tibi conscripsit versus dilecte Joannes,  
    Qui tuus ex animo servulus esse cupit.

*Camaramii 14. Januarii 1731.*

Fr. MAURITIUS AB ANGELIS,  
Lector Philosophiæ.

IN  
REL. P. F. JOANNEM A S. FELICE,  
ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI AUTHOREM  
CARMEN GRATULATORIUM.

**A**nnales ut fama Tuos, pèramate Joannes!  
Jam subiisse bono fidèt prela, tulit.  
Ut didici, rursum Te barbita sumere Cliūs,  
Quid nisi complausus, quid nisi vota darem?  
Raro Sanctorum complèsti munere Florem \*  
Nunc iterum noctis Lilia cana rosis.  
Lilia cana rosis; Canæ quia Religionis  
Orbe in Cæsareo Candida tecta canis.  
Quomodò sèpe, refers, dubius emerserit undis,  
Quos tulerit claros Candidus Ordo viros.  
O niveus candor permixtus laetè, rosisque!  
Queis tua jam dudum Florida Musa rubet.  
Quot sublata notas servilibus agmina Regnis,  
Purpureas totidem cerno rubere rofas.  
Hoc opus est igitur, roseo quod Apolline fluxit,  
Quod veneranda Themis, quodque Minerva probent.  
Sic virtus etiam post tristia funera vivit,  
Et tecum æternos hauriet ipsa dies.  
Fautorum fortassis amor pietásque fuisse  
Hactenus indignis incinerata rogis.  
Orbis eos hucusque viros fortasse fileret,  
Queis olim ex nostris nobile nomen erat.  
Nî tua Musa illos sero transcriberet ævo,  
Et vitam in longa Posteritate daret.  
Rumpo, quod insulsum mea tibia carmen adornat,  
Dum lingua eloquio deficit ipsa suò.  
Sicut namque tuo nec sufficit Orbis honori,  
Sic neque deficiens Te mea Musa capit.  
Æthera transcendam, dotes si quando luberet  
Pro meritis omnes commemorare Tuas.  
Sed neque Pierio celebrari pollice gaudet,  
Cui satis ex proprio Gloria parta fluit.  
Tot linguae quot puneta, Operis quot signa tot ignes  
Laude ferent titulos uberiore Tuos.  
Interea hos studii, quo in te feror, accipe testes;  
Nam servire Tibi semper amabo: vale.

Ità gratulabundus accinuit

*Vienne Austriae 23. Octobris 1739.*

Fratum Tuorum intimus

Fr. RUDOLPHUS à S. JOANNE NEPMUCENO,  
Ord. SSS. TRINITATIS Redemptoris Captivorum,  
SS. Theologiae Lector Actualis.

\* Author præsentis operis olim edidit supplementum in P. Ribadeneira Plotem Sanctorum.

